



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VIII. De Dilationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)

non jurarunt, sed etiam ad id præstandum idoneum syndicum constituere recusarunt: cujusmodi ipsorum delictum merito puniri & Ecclesiæ etiam nocere posse, advertit Panorm. *l. cit.* Ratio est; quia Prælatus cum Coventu seu Capitulo ipsam Ecclesiâ vel Monasterium repræsentant & quodammodo, constituunt, *can. Scire, 7.*

g. 1. & c. Relatum 12. de Testamēt. cùm Ecclesiæ vel Monasterii tanquam ficti corporis Ecclesiastici Prælatus Caput, canonici verò vel monachi Membra sint, *c. Novit 4. de His, que à Prælati Sc. ubi Panormit. n. 2. & Tuschus Prætic. V. Ecclesia concl. 19. n. 1.*



TITVLVS VIII.

De Dilationibus.

SUMMARIUM.

1. Dilationis definitio,
2. Et divisio in Legalem, Judicalem & Conventionalem.
3. Judicij tres sunt partes.
4. In prima Citatoria, Deliberatoria & Recusatoria:
5. In secunda Probatoria:
6. In tertia Definitoria & Executoria dilationes conceduntur.
7. Citatoria hodie sunt 30. vel 90. dierum,
8. Abbreviationi tamen & prolongationi obnoxiorum:
9. Deliberatoria & Recusatoria ad 20. extenduntur:
10. Nisi à judice restringantur vel prorogentur.
11. Probatoria 3. 6. vel 9. mensum, & parte citata dande sunt.
12. Quoties hæc in Criminalibus,
13. Et in Civilibus causis dentur.
14. Date serè sunt litigantibus communes.
15. Definitoria arbitrium:

16. Executoria quatuor mensum spatium datur.
17. Jure Canonico Dilationes omnes,
18. Et non rarò in Praxi arbitrariae sunt.
19. Earum tempus serè continuum est.
20. Dilationum effectus.

Lite contestatâ & præstitâ utrinque Calumniæ juramentò, à litigantibus peti & à judice concedi solent Dilationes, sive spatia temporis: quibus actor quidem intentionis, reus verò exceptionis, si quam se habere existimat, probationes valeant expedire.

Est enim Dilatio judicialis, de qua agimus, Certi temporis ad actus judiciales assignatio, prorogatiõe; vel, secundum Wesenbec. *in C. ad hanc Rubric. n. 1.* & Vallenf. *ibid. §. & n. 1.* Justum temporis intervallum, quod ad actum aliquem judicialem commodius perficiendum, aëtori vel reo, conceditur.

Sunt autem & à Panormit. *in c. 1. 2. n. 1* statuuntur triplicis generis Dilationes, Legales, Judiciales & Conventionales. **U 3**

les. Legales dicuntur, quæ simpliciter & determinatè conceduntur à lege vel canone, loci statutò vel curiæ stylò seu consuetudine: ut sunt decendium, à sententiæ lata, vel saltem cognitæ die computandum, ad interponendam appellationem concessum, *Aurb. Hodie C. & c. Concertationi 10. de Appellat. in 6. quadriennium à vigesimo quinto exactò, sive à primo die vigesimi sexti ætatis anni, usque ad impletum diem ultimum anni vigesimi noni, l. fin. C. de Temp. in integ. restit. &c.* Judiciales, quæ Arbitrariæ quoque à DD. vocantur, & assignantur arbitriò ipsius iudicis, causæ & personarum qualitates, loci aliàsque circumstantias considerantis, §. *Spacium, V. A iudice, post ean. Inducia, 3. q. 3. l. Nonnunquam 72. ff. de Judiciis & l. 1. §. 1. ff. de Effrañ. & expil. Conventionales nuncupantur, quæ competunt ex conventionione partium, mutuo consentientium in termini prorogationem, c. *Pastoralis 28. in fine, de Offic. deleg. vel certum terminum statuentium satisfactioni, l. De die 8. §. 1. ff. Qui satisd. cog. & l. Cedere diem 213. ff. de V. S.**

Aliæ & Judiciali processui accommodatæ partitione Dilationes à DD. passim distinguuntur: & sicut Judicii, ut in istius Libri *Summa pr.* latius accepti tres partes, sic etiam tria statuuntur genera Dilationum: quarum quædam in ipso litis exordio, à citatione usque ad litis contestationem inclusivè; aliæ ab ista usque ad sententiam definitivam exclusivè; aliæ denique à sententia usque ejus executionem inclusivè conceduntur, *Vallenf. ibid. n. 3.*

3. In prima Judicii parte, sive à citatione usque ad litis contestationem, concedi solitæ, vel sunt Citatoriæ, quæ reo in jus vocato conceduntur ad comparendum; neque enim citari quis regulariter ita potest, ut statim debeat comparere: sed ad hoc aliquod & non nimis angustum

temporis intervallum est concedendum, c. 1. vel Deliberatoriæ, quæ eidem dantur; ut visò actoris libellò deliberare secum possit, an litigare vel liti cedere velit, *Panormit. in c. cit. n. 15.* Nisi actoris libellus insertus fuisset citationi; ut ex eo huic inserto de actoris intentione & re, super qua convenitur, plene instructus, quid è re sua sit, deliberare potuisset; hæc enim factò nova dilatio sive induciæ deliberatoriæ ei essent denegandæ, c. *Præterea 2. cum;* quòd eas concedendi non subit causa; sine causa autem, & superflua dilaciones non soleant: & ut iudicium non retardetur, non debeant concedi, ut colligitur ex l. 1. junctâ *Glossâ V. Flagnaverit, C. hæc Rubr.* vel denique Regulariæ aut Declinatoriæ, quæ ad omnes exceptiones dilatorias seu declinatorias opponendas, vg. ad iudicem tanquam incompetentem aut suspectum reculandum, l. *Si quando C. 2. Rubr. cit. & l. Apertissimi 16. C. de Judiciis,* ad repellendum actorem vel procuratorem, tanquam excommunicatum, aut aliàs standi in iudicio personam legitimam non habentem, c. *Exceptionem 12. de Except.* ad laudandum auctorem suum, sive litem ei denuntiandam, l. *Si quis 2. C. Ubi in rem actio &c.* dantur, priusquam litis contestatio fiat, c. *Pastoralis 4. de Except. Pirrhing ad hanc Rubric. à n. 4.*

In secunda Judicii parte, sive post litis contestationem & calumniæ juramentum dari solitæ, Probatoriæ dicuntur & Allegatoriæ, quæ actori ad positionum & articulorum probatorialium, & reo ad responsonum sive exceptionum suarum formationem & per testes, instrumenta, aliæque idonea argumenta probationes expediendas conceduntur, l. 1. & l. *Si quando cit.*

In tertia Judicii parte dari solent dilaciones Definitoriæ, quæ partibus litigantibus ad audiendam sententiam definitivam, l. *In Peremptorio 71. ff. de Re iudic.*

judic. & Executoria, quæ reo per sententiam condemnato ad satisfactionem vel solutionem præstandam à iudice conceduntur, c. *Quoad consultationem* 15. de Sen. & re judic. § 1. *Debitoribus* 31. ff. de Re judic. Præter hæcenus declaratas, Judicialium dilationum variæ species ab Hostiensis in *Summa* n. 1. Speculat. Tit. de Dilat. §. 1. & ex isto ab Haunoldo Tom. 5. de J. & J. Traët. 3. n. 201. aliisque DD. referuntur: quæ tamen reduci ferè possunt ad enumeratas.

Spatium temporis regulariter observandum recensitis Dilationibus ferè singulis à Jure Civili definitum, variumque est.

6. Primò enim in Citatoriis, quando reus, non unâ peremptoriâ, sed tribus simplicibus citationibus in jus vocatur, inter singula citationum edicta intervalum, antiquò non minus, quàm decem dierum, l. *Ad peremptorium* 8. § 1. *Per intervallum* 69. Sc. ff. de *Judiciis*: recentiori autem Jure *Autb. Qui semel C. Quomodo & quando iudex* Sc. triginta dierum intervallū intercedere debet. Quando autem unicâ citatione peremptoriâ in jus vocatur, dilatio Citatoria reo, ad comparandum data, tantū temporis intervallū quantum tres citationes simplices, ac proinde antiquò triginta, recentiori autem Jure nonaginta dierum spatium & terminum peremptorium expressum continere debet, l. *Consentaneum* 8. § 1. *Tres* 9. C. *Rubr. cit.* Glossa in c. 1. *V. Peremptorium*, & ibi Panormit. n. 9. Quando autem quis tribus simplicibus vel pro tribus unâ peremptoriâ citatione in jus vocandus sit, arbitrio iudicis DD. passim relinquunt. Ubi

8. Dubium est, an iudex citatoriæ dilationis terminum longiorem concedere, vel eum brevioris temporis spatiò restringere possit. Quod, si causæ in iudicium deductæ & personarum qualitates, locique & aliæ circumstantiæ expo-

scere videantur, iudici permissum, cum Glossa in c. *Præterea* 2. *V. Portus*, dilationem hanc Arbitrariam esse asserente, communiter est receptum. Quare hac in re iudex uti moderatione, & legalem terminum abbreviare posse videtur Imprimis in causis vilium personarum, uti & in causis exiguis & modicæ quantitatis, *Autb. Nisi breves C. de Sent. ex brevitate recit.* Deinde in causis, non admittentibus moram: sicut sunt causa alimentorum, cum periculum est; ne, si legalis dilatio tota reo concedatur, pro illis agens fame conficiatur, Bartol. in l. *Qui pro tribunali* 2. ff. de *Re judic. n. 5.* cum res litigiosa tempore est peritura, arg. l. *Unic. ff. de Gland leg. vel legalis dilatio majores causatura expensas, quàm allatura commodi sit; quòd vg. animal, si lis protrahatur, comedendò plus, quàm ipsum valeat, sit absumpturum, arg. l. *Mediterranea* 9. C. de *Annon. & trib.* Panormit. in c. 1. n. 7. & Menoch. *Lib. 2. de Arbitr. casu* § 2. à n. 10. Simili modò dilationem Citatoriam legali longiorem statuere potest, si id exigere videatur qualitas causæ valde arduæ & intricatæ, vel personarum, senio, infirmitate, absentia aut aliter impeditarum, quò minus, legali terminò lapsò, in iure comparere sine magno incommodo possint, arg. c. *fin. l. Nonnunquam cit.* § 1. *Continuus* 137. §. 2. ff. de *V. O. cit.* Panormit. n. 7. in *sine* & Menoch. à n. 18. ubi uterque iudicem monet; ut, cum legalem terminum coarctandò vel prolongandò moderatur, exprimat ejus causam; ne, si istâ non expressâ, à Juris termino recedat, pars moderatione se gravatam facillè existimet & appellet.*

9. Secundò, Deliberatoriæ & Recusatoriæ dilationes reo dandæ à tempore oblatis ipsi libelli, viginti dies complectuntur, *Autb. Offeratur C. de Litis contest. Reo*, in quâ, non Actor;

Actori; cui, cum, an & quando reus conveniendus, & quis iudex adeundus sit, deliberandi tempus tantum, quantum voluit, habuerit, neque hunc recusandi facultas, neque, an litigare sibi expediat, deliberandi spatium conceditur; cum, hoc ipso, quod ad iudicium provocet, ad litigandum venire valeat & debeat instructus, l. Si quando cit. § l. Qui in alterius q. 2. ff. de R. J. ad id autem, ad quod quis instructus esse debet & potest, dilatio nunquam datur, Glossa in c. Præterea cit. V. Plenè, & ibi Panormit. n. 13. Si tamen reus initio litis opponat exceptionem, super ista & replicatione deliberandi tempus etiam ipsi denegandum non esset; cum super exceptione illa non potuerit esse instructus, ut l. cit. Panorm. notat.

10. Dubium de his etiam dilationibus est, an iudicis coarctationi vel prolongationi obnoxia sint; id enim cum Glossa in *Aurb. cit. V. Viginti*, negat Barbosa in c. *Præterea 2. hâc Rubr. n. 9.* quod, sicut decendum ad appellandum, sic & ad deliberandum & iudicem recusandum viginti dierum terminus sit legalis, sive concessus à Jure: à quo concessum tempus coarctationi & prorogationi iudicis obnoxium esse, inficitur. Verùm hoc in iis tantum terminis procedit, qui à Jure simpliciter & sine ullo iudicis ministerio conceduntur: sicut ad interponendam appellationem decendium concessum est, *Aurb. Hodie C. de Appellat. § c. Quod ad consultationē 15. de Senr. & re jud. Glossa fin. in c. Dilectus 11. de Procurat. & Panormit. cit. n. 13.* Secus est in iis, qui iudicis ministerio conceduntur, ut terminus deliberatoriæ & recusatoriæ dilationis; cum enim hanc iudex personarum & negotii qualitatibus aliisque circumstantiis debeat accommodare, Glossa cit. si cognitâ causâ expedire videatur, viginti diebus amplius, brevius-

ve tempus ad deliberandum reo citato iudex concedere valebit, arg. l. *Quod pro 2. ff. de Re judic. Bartol. in Aurb. cit. n. 9. & Menoch. cit. casu 52. à n. 6.*

Tertiò, Probatoriæ dilationes, quando probationes ex eadem provincia, in qua lis agitur, poscuntur, ultra trimestre temporis spatium non extenduntur, Quando autem illæ ex aliena, lex: & quando ex ultramarina provincia petendæ sunt, ad eas expediendas novem menses concedi possunt, l. 1. § l. fin. C. hic, Novell. 69. cap. 2. § l. Spatium, post eam, *Inducia, 3. q. 3.*

Petendæ autem & concedendæ tales dilationes sunt à iudice pro tribunali sedente, cognitâ causâ, & utrâque parte præsentem, l. *A. procedente 4. C. hâc Rubr.* In Rota tamen Romana hujusmodi causæ merita concernentes, sive Probatoriæ dilationes, adversâ parte non præsentem, imò non citatâ, concedi possunt, vigore Constitutionis Innocentianæ, teste Casadoro *Decif. 7. de Appellat. in fine, apud Jordanum cit. Tit. 8. n. 31. & 35.* Unde

Dubium oritur, an Probatoriæ dilatio extra Rotam uni parti, absente alterâ, sub conditione futuræ ratificationis concessa, de Jure valeat, si ratificatio potest sequatur: quod aliqui negant. Melius tamen cum *Speculat. Tit. de Dilat. § l. 2. n. 2.* affirmant cit. *Jordanus n. 40. & Haunold. Tom. 5. de J. & J. vrb. 3. n. 210.* quod ex una, adversæ partis præsentia à Jure exigatur in favorem ipsius; ne Dilationis concessione præjudicium partiat: ex altera verò parte, si concessio ipsius ratificationi alligetur, nihil ei præjudicii inferatur, hoc ipso; quod, si illius periculum appareat, contradicere & concessionem nullam reddere: & contra, si eam sibi non obesse, sed prodesse animadvertat, ratificatione suâ ejus commodum percipere possit.

Dubium

12. Dubium etiam est; quoties hujusmodi dilationes Jure concedantur: quod resolvendum est beneficii distinctionis inter causas Civiles & Criminales.

Et in Criminalibus quidem, saltem si graviores aut capitales sint, accusatori dux, reo verò tres (dummodo, eas malitiosè peti, præsumptio non sit) cognitâ causâ, dari permittuntur, *l. fin. ff. de Feriis*. Imò in huiusmodi causis, ad probandam innocentiam suam reo, ante sententiam semper, etiam postquam in causâ jam est conclusum, dilationem concedi posse, dummodo, eam non malitiosè peti, præsumptio sit, cum Maranta *de Ord. Judic. p. 6. actu 3. n. 3.* docet laudatus Pirrhing *n. 17. in fine*: & suadet specialis ratio maximi præjudicii, ex tali causâ impendentis litigatoribus, præsertim reo: qui, licet favorabilior, quàm actor sit, invitatus tamen & minùs quàm iste instructus ad iudicium venit.

13. In Civilibus autem causis dilationem probatoriam regulariter semel duntaxat dari, patet ex *l. 1. C. hic l. Oratione 7. & l. fin. ff. de Feriis*. Regulariter, inquam; quia ex iusta causa v.g. ad improbi litigatoris contumaciam luculentius convincendam: vel, si intervenierit inopinatum impedimentum, probationes ante instruere non permittens: vel, si lapsâ dilatione superveniant novæ probationes &c. secunda & tertia, imò aliquando, si necessaria videatur, etiam quarta concedi potest, observatâ tamen solemnitate Juris, exigentis; ut tali casu eam petens, allegatâ & probatâ legitimâ petendi causâ, juramentò fidem faciat, eam dilationem non malitiosè, scilicet ad trahendam causam peti, *e. In causis 15. Aurb. At qui semel C. de Testibus & Novell. 90. cap. 4.* Legalis tamen hæc solennitas omitti potest consensu partium, non solum expresso, sed etiam tacito; ut, si eam petenti

partium uni, alterâ præsentè & non contradicente, iudex concedat, concessio valida sit: & ex eo; quòd contradicendum non sit, dilatio utriusque partis consensu concessa intelligatur, Baldus *in l. fin. ff. de Feriis*, Panormit. *in c. In causis 15. de Test. & attest. n. 15. an. 3.* & Felin. *ibid. n. 5.* cum, quoties iudex decernit, aut facit aliquid, quod partium alteri potest præjudicare, si iusta expressè non contradicat, sed taceat, ejus iuri suo tacitè renuntiantis, consensu decretum factumque videatur, *arg. c. fin. de Accusat. in 6. ubi Glossa V. Reclamante, Vivian. pr. & Maranta de Ord. judic. p. 6. actu 3. n. 12. & 13.* pro cautela iudicem monens; ut, cum dilationem in Acta referri jubet, exprimitur, eam concessam, utràque parte præsentè & non contradicente, vel tacentè; quòd taciturnitas in iudicio consensum inducat, & locus sit *Reg. Qui tacet 43. in 6.* Plures autem dilationes non concedi, ex iisdem textibus desumitur & suadet ratio immortalitatis litium evitandæ, *l. Propevandum 13. pr. C. de Judiciis, Speculat. de Dilat. §. 4. n. 19. & 20. & cit. Gaill. Observat. 91. n. 16. & 19.*

Dubium ulterius est, an Dilationes Probatoriæ, uni litigantium datæ, sint communes alteri. Deliberatorias & recusatorias reo datas, actori communes non esse, liquet. De Probatoriis dubitandi ratio oritur ex *l. Si quando cit.* ubi in causâ etiam Civili dilatio, reo concessa, actori negatur, Sed hæc etiam in re opus est distinctione inter causas; si enim ista Criminalis, reo plures, quàm actori competere, jam est dictum. Si verò Civilis sit, regulariter æqualitas servanda est inter actorem & reum; ut tempus uni concessum ferè etiam profit alteri, *arg. l. Petenda 6. C. de Temp. in integ. restit.*

Neque in contrarium facit *l. Si quando cit.* quia agit de casu specialis, quo actor

X

reuma

reum ad iudicem extraordinarium à Principe delegatum trahit; cum enim tali casu reus ad alienum iudicium, præter spem & expectationem, vocatus sit, & instructus venire non potuerit, dilationes ei omninò dandæ sunt, licet negentur actori, Haunold. *Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 207.* & Bruneman in *l. cit. n. 2.*

15. Quarto, dilationibus Definitoriis iudex pro arbitrio tempus assignat cum termino peremptorio, v.g. si ad audiendam sententiam citatus præfinitò die non compareat, eam ipsò etiam absente ferendam, *c. Consuluit 24. de Offic. deleg. & l. In peremptorio 71. ff. de iudiciis, cit. Pirhing n. 21.*

16. Quinto demum, Executoria dilationes in Civilibus, quando conceduntur, regulariter quatuor mensium spatium complectuntur, *c. Quarenti 26. de Offic. deleg. & c. Quod ad 15. de Sent. & re iud.*

Dico, in Civilibus, Quando conceduntur & Regulariter. Primum; quia in causis criminalibus pro executione dilationes non conceduntur: nisi certis casibus, v.g. cum ad mortem damnata mulier prægnans est: cum Princeps executionem differri ex iusta causa mandat, Vallens. *ble § 1. n. 13.* Alterum; quia etiam in actionibus Civilibus Realibus executio de Jure fit sine dilatione: nisi possessor sive reus neget, se, quod per sententiam jubetur, restituere posse; hoc enim si dolo non faciat, ipsi aliqua dilatio à iudice concedenda est, si de re vel ejus æstimatione caveat, *l. Qui restituere 68. ff. de R. V. per fidejussores, §. Etsi in rem 2. Instit. de Offic. iudic. &c.* Qua de re sermo redibit *Tit. 27. à n. 8.* Postremum; quia etiam in actionibus Personalibus ad executionem concessum quadrimestre, si res exigat, à iudice extendi, vel contrahi, etiam Jure permittitur, *c. Quarenti & c. Quod ad cit. & l. Debitoribus 31. ff. de Re iudic.*

Haec tenet relata Judicialium Dilationum tempora sanctionibus Imperialibus definita sunt. Spectato Jure Canonico, *c. Quod ad consultationem 15. de Sent. & re iud.* fere omnium spatia arbitrio iudicis permittit à DD. consentur, testibus Vallens. *§. cit. n. 10.* & Corvino Enarrat. *C. ad hanc Rubric. §. Judex.* Et licet Jure Decretalium dilationis Citatoria, præsertim in causa Ecclesiastica & peremptoriè assignata, tempus non nimis breve esse oporteat, per textum *c. 1. cit.* sacra tamen Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 10. in fine, de Reformat.* Ordinarios & quoscunque alios iudices monet; ut in terminandis causis, quantum fieri potest, brevitati studeant: & litigatorum, causas trahentium, artibus occurrant præfinitione certi termini, utique non nimis extensi; ne causa nimium protrahantur.

Quin Jure etiam Civili pro dita dilationum tempora ex iusta causa abbreviari, aut prorogari à iudicibus posse, *l. Nunquam 72. V. Hoc autem, ff. de iudic. discretè habetur.* De consuetudine autem & stylo Curiarum, qui in praxi præcipue spectandus est, fere ubique, & in Camera etiam Imperiali, dilationum tempora à iudicibus, habità ratione causæ, personarum, itinerum, aliarumque circumstantiarum, ampliuntur aut restringuntur, teste Gaill. *Lib. 1. observat. 91. n. 13.*

Porro dilationibus assignatum tempus continuum est: & regulariter etiam diebus ex quacunque causa feriatis currit, *l. Sive pars 3. C. hic. Regulariter, inquam;* quia Imprimis, si feria totam vel majorem partem temporis absorberent, & actui judiciali expediendo v.g. præparandis probationibus impedimento essent, tempus feriatum non computari æquitas postulare, Maranta *de Ord. iudic. p. 6. de Dilat. n. 18.* ubi cum Baldo in *l. Si quando 19. C. de Testibus, q. 4.* & aliis docet, in Sabbato Palmarum datam quindocim die.

decim dierum dilationem primum post Octavam Pasche inchoari; quod precedentes dies omnes feriati sint. Diem etiam assignati à iudice termini dilatorii, v.g. viginti dierum, in termino non computari, sive dicto viginti dierum numero non comprehendi, sicut benignior, sic verior quoque & Imperialis Camera usu recepta DD. sententia est, teste Mynsinger *Centur. 5. observat. 15.* Deinde; quia ipsarum tempus ignorantibus, vel aliter legitime impeditis, utpote agere

non valentibus, non currit, *arg. c. Quia diversitatem 5. de Concess. Prob. Jordanus Lucubrat. Lib. 14. tit. 8. n. 142.*

Effectus dilationis est; quod litigantes à mora & istius poena excuset: eaque pendente, officium iudicis conquescat; ut super articulo, super quo: & in praedictum eius, cui concessa est, agere aut innovare nihil possit, *l. Sive pars cit. et si super articulis aliis procedere non prohibetur, c. 3. Vallens. §. 3. n. 1. & Pirthing num. 23.*



TITVLVS IX.

De Feriis.

Dilationibus affines sunt Feriae Judiciales: quas inter tamen & illas multum, & hoc praecipue interest; quod Feriae non, ut Dilationes, de quibus Rubrica superior, ad privatam solum utilitatem atque instantiam litigantium concedantur: sed ob honorem Dei, aliamve causam ferè publicam sint institutae: neque, ut illae, unius tantum rei vel litis, sed iudiciorum & litium planè omnium sint dilationes: & iudicis arbitrio non variantur.

ARTICVLVS I.

De Feriarum Natura Varietate & Introductione.

SUMMARIUM.

1. Feriarum erymon ac definitio.
2. Divisio in Ordinarias & Repentinat.

3. Sacras & Propbanas.
4. Haec à Seculari: illa ab Ecclesiastica potestate.
5. Ferè cum consensu populi indicuntur.
6. Secularis, licet sacras non indicere.
7. Indictarum tamen observationem praecipere, etiam panam constituta, potest.
8. FERIA SACRA à Vespera ad vesperam porriguntur.
9. Referuntur varia lege Ecclesiastica.
10. Vel consuetudine introducta.
11. Earum finis.
12. Et ab isto recessus.

Feriae itaque à *Ferendis* seu mandandis victimis ita nuncupatae, sunt Dies vel Tempora, quibus forensis strepitus & contentiosae jurisdictionis exercitium planè conquiescere iubetur, *l. Pridie 5. §. 1. Si feriatas 6. ff. h. ac Rubr. eamque ob causam olim dictae*